CONVENTICULA FANATICORUM DISSIPATA.

ECquis nunc *Caroli* ramo fœlicis *Olivæ*
Impediat caput? aut frondentis vimine Lauri?
Ecquis (io!) meritos victori inſtauret honores?
Victori *Carolo*, quem non rationis egentem
Lernæus turbâ capitum circumſtetit Anguis.
Sæpè quidem noſtrum *Lemanâ* exorta Palude
Bellua funeſtis vexavit cladibus Orbem:
Sæpè per *Angliacos*, ſparſit contagia campos,
Squammaſq; criſtaſq; minax; & ſibila colla:
Tandem uno *Carolus*, Magni par *Herculis*, ictu,
Fœcundum ſcelus, & centeni verticis iras
Infregit, penituſq; animoſam contudit *Hydram*.
Nam poſtquam infandas vetuit coaleſcere Turmas,
Protinùs è medio tantis exterrita damnis,
Seditio (fœdum ac viſu mirabile Monſtrum!)
Ceſſit, & in tenues paulatim evanuit auras.
Eja, age nunc, intra privati limina Templi
Quæ ſcelera, & quantæ ſteterint ſine vindice fraudes
Muſa memor, referas, primâq; ab origine pandas.
Auguſtæ in medio (quid non *Auguſta* malorum
Concipit! aut quas non alit intra viſcera peſtes?)
Stat ſacra Ædiculæ moles, (*Eccleſia Mater*,
Parce mihi *Sacram* dicenti!) ubi ſemi-Sacerdos
Neſcio quis, curtatus iniquo forfice crines,
Et nigrâ cinctus Togulâ, ſolennibus horis
Màgnâ voce boat, Turbæq; ad ſcamna ſedenti
Non intellecti pandit myſteria Verbi.
Huc omnes, quotquot mirus ſub pectore fervor
Exagitat, coeunt diverſo ex ordine Cives:
Uſq; à *Patricio*, qui largo abdomine tardus,
Sidonias merces, & tinctos murice pannos
Ædibus in magnis venum proponit; ad Illum,
Qui clauſus conductæ anguſto in limite cellæ
Taurino Corio ſoleis ſuccurrit iniquis,
Et tritas ſolido fulcit tibicine pelles.
Huc, & quæ lapſos dextrâ jam computat annos,
Plena Deo Mulier, greſſum molitur anilem.
Illi clauſa quidem jamdudum obſurduit Auris:
Uſq; tamen venit Auditum, captatq; reclinis
Nequicquam patulo divina Oracula rictu.
Nec Matrona deeſt oculos dejecta pudicos:
Nec quæ luminibus prima ad ſubſellia ſtantem
Deſtinet obliquis laſciva ſororcula Fratrem.
Interea Roſtrum Divinæ Nuncius iræ
Scandit Ovans: poſitiſq; in lævum dactylothecis,
Ter glaucos hùc atq; illùc circumrotat orbes,

Ter

Ter tuſſitq; ſcreatq; & ter levat æthera verſus
Sudantes digitos: Summiſſo murmure tandem
Incipit, atq; humiles imitatur voce ſuſurros.
Tanquam aliquid Divi admotam garriret in aurem.
Mox querulo gemitu, & ſingultibus ilia pulſans
Triſte ululat; celeri nunc curſu verba fatigat,
Nunc iterùm tardos trahit in longum ſermones:
Scilicet uſq; adeo variis ſe accentibus effert,
Totq; ſimul reddit vocum diſcrimina, ut omnem
Dixiſſes uno mugire è gutture Cætum.
Jamq; inflans buccas, & pollice ſtans erecto,
Pleniùs ora rotat, jactiſq; ad ſydera palmis,
Subſilit, & valido pulvinum concutit ictu.
Nec mora nec requies: Meretricem protinus alto
Culmine *Romanam* turbat, penituſq; nefandam
Ex imâ vellit radice Superſtitionem.
Cancellos, ſanctoſq; Choros, Altaria, Tædas
Diripit; atq; ipſam pariter cum ſindone Mitram:
Panniculos *Antichriſti* de veſte petitos!
Intereà ſudatq; fremitq; & Pulpita quaſſat,
Tanquam ageret quod ſuadet agendum.—Nec minus ipſum
In *Carolum* diſtringit amaræ ſpicula linguæ:
Illum etiam *Papæ* addictum, ſediſq; *Latinæ*
Cultorem inclamat, praviſq; in devia ferri
Conſiliis, prorſus divini Luminis orbum.
Sic Regem & Proceres obliquo crimine mordens,
Auritos palpat circum præcordia Fratres.
Quis tamen Ille fores pede concutit importuno?
Lictor adeſt, multuſq; ſimul poſt terga ſatelles.
Quid nunc auriculos, Bone vir, dimittis inertes?
Poſticum ne quære, gregem ne deſere, Paſtor:
Quo fugis, Heroum fortiſſime? non vacat, inquit,
In cunctos libras bis denas ſolvere Menſes.
Dixit, & illapſus fallaci protinùs antro
Mortales viſus medio in ſermone reliquit.
Diffugiunt Fratres, & pallida turba, Sorores:
Hùc illùc ſparſos (proh formidabile nomen!)
Lictor agit præceps: nunc hos, nunc occupat illas
A dextrâ, levâq;, & chartis nomina mandat.
Pars aurum numerant, meritas pars altera pœnas
Expendunt, clauſi tenebris, & carcere cæco.
His concuſſa malis, gratos Fanatica Cætus
Deſeruit rabies, atq; indignata receſſit.
Seditio (modò quæ ſpecie pietatis & umbrâ,
Privatis viguit templis) in bella furentes
Haud ultrà impellet populos; nec jam ampliùs illos
Defendet numerus, junctoq; umbone Phalanges.

FINIS.

LONDON, Printed for *Walter Davis* at *Amen-Corner*. 1685.